



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Analysis Methodica Ivris Pontificii

Venator, Daniel

[S.I.], 1579

VD16 V 541

De Apostatis Et Reiterantibus Baptisma. Titulus IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

buam regni cælestis ingredi possunt, c. quicunq;
24.q.1. & August. de fide catholica, omni homini,
qui Ecclesiæ catholice non tenet vnitatem, neque
Baptismus, neq; eleemosyna, quantumuis cōpicio-
sa, neq; mors, pro nomine Christi, suscepta, profi-
cere poterit ad salutem, c. firmissimè, ext. de hēr.

DE APOSTATIS ET REITERANTI-

bus Baptisma.

Titulus IX.

Continuatio.

Hæretici & schismatici deuiando à rectæ fidei
dei tramite, & recedendo ab vnitate Eccle-
siæ in apostasiæ crimen incidere dicuntur,
c. excommunicatus, §. 1. ex. de hæret.

Quid Apostasia?

Apostasia, (secundum Hostiens.) est, à statu fidei
obedientiæ & religionis, quam quis professus est
se tenere, temerarius recessus, Hostien. §. quid sit,
eod. tit.

Vnde dicta?

Apostasia dicitur, quasi post status. Vnde Apo-
stata, quasi retrò stans vel retrogradiens, c. non
obseruetis, 26. q. 7. c. sancimus, 12. q. 1.

Quot sunt species Apostasia?

Secundum Innocen. in c. præterea, ext. eod. tres
sunt species: Prima, apostasia perfidiæ : qua quis
recedit à fide, quam antea colebat, sicut Julianus
apostata, c. non potest, 2. q. 7. Secunda, apostasia ino-
bediētiæ: qua quis præceptū maioris sui transgre-
ditur, vel sacrī statutis & canonibus nō obedit,
c. alieni, 3. q. 4. c. si qs, ex. de maio. & obe. Quæ spēs

Nnn 2

ita

932 ANALYS. IVRIS PONTIFICII

ita intelligitur, si statutis obediendū credat, alioquin est hereticus & schismaticus, c. nulli, dist. 19. Tertia species est, apostasiæ irregularitatis, scilicet, cū quis à statu sumptæ religionis, recedit, c. fin. ext. eod. c. ex parte, ext. de temp. ord. c. fin. dist. 50. c. quantum, dist. 47. c. beatus, 3. q. 4.

Quæ pœna in Apostatas statutæ?

Apostotæ perfidi amittunt omnia à iure cōmu-ni Christianis cōcessa, bona eorū confiscantur(ni si habeant liberos & cognatos) & ipsi infames fi-unt, accusariq; possunt, absq; obseruatiōe iudicia-rii processus, etiā post mortē. Nec accusatio tépo-ris lapsu tollitur, nisi mortuo apostata post quin-quennium, l. 1. 2. 3. & 4. C. de apostatis, c. nō potest, 2. q. 7. c. infames, 6. q. 1. c. celebritatē, dist. 4. Et in o-mnibus puniuntur vt hæretici. Quia rei veritate inspecta illi hæretici & excommunicati sunt, Inno-cent. c. 1. ext. eo. Apostatae inobedientia, id est, qui non obediūt Prælato, vel canonibus, cum nota in famiē repelluntur ab accusatione & testimonio, excommunicantur & deponuntur, & quandoq; degradati iudici seculari tradūtur, c. si quis à suo, 3. q. 4. c. si autem vobis, 10. q. 3. & c. Apostatae irregu-laritatis: ea durante ab accusatione & testimonio repelluntur, & infames ipso iure fiunt, c. alieni, 2. q. 7. c. beatus, 3. q. 4. nec ad dignitates eligi pos-sunt, c. legi, 16. q. 1. & si post admonitionem se non correxerint, deponuntur, priuilegijsq; clericis cō-cessis priuātur, c. sine ornatu, 22. q. 4. c. fin autem, 11. q. 3. &, c. 1. extr. eod.

Quæ pœna reiterationis Baptismi?

Secundūm canones clerici deponuntur, c. eos quos, dist. 4. laici vero excommunicantur, nec ad ordi-



ordines admittuntur, c. qui aliquo dist. 51. c. qui in qualibet, 1. q. 7. c. 2. ext. eo. Verum secundum leges rebaptizanti & rebaptizato scienter, i. non ignorantibus hoc esse prohibitum, sed dolo malo in reiterationem Baptismi consentientibus, pœna imponitur capitalis, l. 2. C. ne sanctum Baptisma iteretur. Episcopi etiam illicita usurpatione sanctitatem Baptismatis geminates sacerdotio destituti legitimis pœnis subjiciuntur, l. 1. C. ne sanctum baptis iteretur, & secundum Azonem ibi.

DE HIS QVI FILIOS OCCIDERUNT.

Titulus X.

Continuatio.

CVm illi, quos natura in officio retinere non potest, magnitudine pœnæ à maleficijs sint submouendi: non iniuria grauissima pœna in parricidas, qui huius officij oblii, naturalem coniunctionem delinquendo tollunt, statuta est. In quibus personis lege Pompeia parricidium committatur? & quomodo puniatur?

Lege Pompeia de parricidijs cauetur, ait Marcius, l. 1. ff. de lege Pomp. de par. si quis, patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruellem, matruelem, patruum, auunculam, amitam, consobrinum, consobrinam, vxorem, nurum, genерum, socrum, vitricum, priuignum, priuignā, patronū, patronām ve occiderit, cuiusue id dolo malo factum erit: vt pœna ea teneatur, q̄ est legis Cornelij de sicarijs. Sed & mater quæ filium filiamve occiderit, eius legis pœna afficitur: & auqui nepotē occiderit. Et præterea qui emit ven-

Nnn 3 num